



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 129. Consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi
aduersus Iesum. v. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Iesu desideratissime, quid tibi animi erat cum diei huius matutinum crepusculum cerneres? Credo iisdem te affectibus & cogitatione utum, quibus S. Cæcilia virgo tua postea usa fuit, in animandis martyribus: & ego cū illa, & tecū simili affectu dico: *hac est dies desideratissima omnibus hominibus, hac est dies quā fecit Dominus, hac est dies qua Dominus afflictionem populi sui respexit, & fecit redemptionem.* Ergo hunc diem nostræ redemptionis deuote recolamus, cum omni gratiarum actione dicentes: Gloria tibi Domine, quod vixerimus & viderimus hunc diem redemptionis nostræ: diem propitiationis, quem patris nostri videre capiebant & non viderunt, nec valuerunt. O magna gratia Dei nostri, erga nos miseros peccatores.

§. 129. *Consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum. v. 1.*

Heri instituerant consilium postquam ab Anna fuisset missus ad Caiapham de nocte, nunc iterum mane conueniunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi ad consilium ne forte censeretur minus legitimum quod de nocte habuerant, & absentibus quibusdam, ne & obijceretur parum exacte & semel tantum pōderatum fuisse negotium Christi damnationis, imo vero & multo magis ut consultarent, quā viâ ratione & modo possent Iudici Romano & gentili eum tradere, ut morte turpissima damnaretur, quali ipsi damnare nequebant. Quam verò totum id callide, quam vafre actum?

O mi Iesu, quam vigiles, prompti & veloces sumus ad faciendum malum! obsecro te per hoc consilium iniquum, ne vnquam conueniam aut velim nocere proximo quouis modo, sed studeam omni tempore honestati, iustitiæ, æquitati circa omnes, idque propter amorem tui solius, ne aduersum te quid agam ne in partes trahar malignantium, vel specie boni pulchrè illudentium incautis. sed simpliciter, uti iussisti proximum diligere, sicut seipsum, sic præceptis tuis satisfaciam non credens omni spiritui, etsi sanctus videatur. Regat me sancta sedes Apostolica Romana, & quantæ vis aliæ succedant phantasiæ Humanæ.

§. 130. *Vt cum morti traderent. v. 1.*

Ecce finis consilij Principum & conuentus, adeo matutini. erat quidem conceptus pridem in mentibus eorum, à tempore scilicet, quo cepit Iesus docere & prædicare, Noui Testamenti Euangelium, & increpare vitia Sacerdotum & Principum Iudæorum, inde enim cœperunt cogitare, sed illo mane cœpit nasci malus fœtus cordis, putantes per mortem extinguerè